


**05
A
2375**



Disputatio Politica
de
Societatibus Naturalibus,

Duce Deo & Preside

M. MICHAEL WENDELO,

Facult. Philosoph. Adjuncto,
publici colloquii gratiâ

proposita à

JOHANNE LAURENTI

Gubenâ Lusato

*In Auditorio majori boris antemer-
idianis die 5. Octobr.*

WITTEBERGÆ
Excudebat MICHAEL WENDE
Anno M D CXXXIX,



V I R I S
*Admodum Reverendis, Excellentissimis &
Praclarissimis:*

Dn. M. JOHANNI ERICO OSTERMANNO,
Græcæ Linguæ P. P. & p. t. Collegii Philosophici
Decano speciabili:
Dn. JACOBO WELLERO, SS. Theol. Doctori
& Professori Extraordinario, nec non Ebrææ
Linguæ Ordinario:
Dn. JOHANNI SCHARFIO, SS. Theol. Licen-
tiato, Log. & Metaph. Prof. P.
Dn. M. JOHANNI Sperling / Phys. Prof. P.
Dn. M. CHRISTOPHORO NOTNAGELIO,
Mathem. Prof. P.
Dn. M. NICOLAO POMPEIO, Mathem. Infer.
Profess. Publ.

juxta ac

Clarissimis, Praeeximis & Praestantissimis

Dn. M. MARTINO HEINSIO / SS. Th. Candidatis
&
Dn. M. MICHAELI WENDELERO { & Ampliss. Facult.
Phil. Adj. digniss.

*Dnn. Promotoribus, Hōspiti, ac Præceptoribus
suis omni observantiæ cultu prosequendis,*

Exercitium hoc Politicum, in grati
animi signum, studiorum suorum
commendationem, ut & ulterioris
favoris ac benevolentiae incitamen-
tum,

D. & O.

Johannes Laurentii
Gubena Lusatus.



05 A 1375

Præloquium.



E Republicâ & Magistratū acturi in sequentibus duabus Disputationibus meritò inquirimus in hic in partes, ex quibus Respub. constat. Ut enim in aliis rem compositam ad simplices usque partes dividere oportet, quia multum id ad lucem facere videtur; ita & hic, si nunc diligenter partes singulas examinemus, facilius cum differentiam earum videbimus, tum sine ullo negotio & ad Reip. subjectum, utpote civitatem, hoc est societatem perfectam ex plurimis pagis constantem. & ad ipsam Rempub. felix patabit aditus. Generaliter dividunt civitatis partes, ut aliae Simplices ac Primarie; aliae Composite & Secundarie dicantur: Illæ in triplici differentiasunt; alia enim est Conjugalis, alia Herilis, alia denique Paterna. Hæ tidem eres: Domestica Pagana & Civilis. Singulas ordine bono cum Deo sumus visuri.

Theses.

1. §. Quamvis omnes ad unâ Societas ab ipsâ naturâ suam ducant originē, ut de singulis probat Aristoteles; maximè tamen omnium Conjugalis, quam ita à naturâ pendere ait Philosophus, ut etiam οὐγάρεσσι naturali ad hanc amicitiam hominum inclinationi opponat. Immo, pergit, neque ex voluntate, neque ex sensu eam proficisci; quia non tantum homines & animalia bruta, sed etiam plantas sese propagare videmus, quibus neque consultationem, neque voluntatem, neque sensum inesse scimus,

2. §. Ita videlicet cum naturâ comparatum esse videntur, ut ad finem omnium rerum, qui Deus est, impetu quasi feratur, cumque καὶ δύναμι imitari cupiat;

& maximè perpetuam ejus adfectet durationem. Cùm autem ejusmodi conservatio in Individuo, quod interitui est obnoxium, fieri nequeat, speciei machinatur propagationem, ut quodlibet sui simile relinquat.

3. §. Ex hoc ipso procreandi sibi simile appetitū Cicero conjugium demonstrat lib. I. off. Naturā inquit, commune est omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, unde prima societas est in ipso conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, communis omnia. Id autem est principium urbis & quasi seminarium Reipublicæ.

4. §. Hoc desiderium in homine si ratione regitur, & honestate terminatur, nihil profecto in mortali bus magis est eximium; quia omnibus virtutibus venustatem quandam ex se conciliat, & ipsa quandoq; vitia excusat. Ut ut negari sanè nec possit nec debeat, infinita ferè incommoda hanc societatem factò quasi agmine stipare. Sed mundum ipsum vitet necessum est, qui vitare velit molestias. Et si curam fugimus, virtus ipsa fugienda est, quæ necesse est cum aliquà curà res sibi contrarias adspicentur atque oderit. Imò vita ipsa relinquenda erit, cuius initium cœcitas & oblivio possidet, progressum labor, dolore exitum, error omnia.

5. §. Materia hujus societatis est mas & fœmina, non mares & una fœmina, nec mas & duæ fœminæ. Horum ætatem quod attinet, affirmat Aristoteles 7. Polit. ætatem conjugio mulieris esse decem & octo annorum, viri triginta septem. Plato mulierem vult esse viginti, virum triginta. Conjugia ergò ante justam ætatem non sunt incunda, quia libertas in conjugio requiritur cum accuratiore rei arduæ consideratione juncta, quæ in juvenantium & lusibus jam ineptientium animos non cadit. Ut non præcocia, ita nec se-
ra ni:

ra nimis esse cōvenit; magna enim utrinque provēniunt incommoda.

6. §. Juvenes arcentiā conjugio 1. quod comper-tum sit, nuptias immaturas Reipub. propter infirmam & morbosam sobolem insignem calamitatem intu-lisse. 2. quod ex immaturitate conjugum fœminæ cre-brius nascantur, matresque juvenculæ moriantur. 3. quod percat observantia liberorum in parentes; gran-dior enim perens propter annos plurimū, junior propter adolescentiam minus potest. Fieri hic non potest, quin novella soboles, patre non patre, sed nugarum sodale salutato, imperium patris audacter exuat.

7. §. Senes ad conjugium pronunciantur inepti; quia nec validi sunt ad angustias & pressuras conjugii superandas; nec frigidâ confecti morte liberos edu-care & commodè elocare possunt. Hinc tanta or-phonorum colluvies in Reb. hinc indè discursitan-rium. Adde quod spe prolis exciderint. His ratio-nibus adducti legislatores medium ætatem, ut ex Ari-stotele & Platone probatum dedimus, tribuerunt. He-siodus marcm 30, fœminam 15 annorum natam con-jugio applicat, cum constet, non nisi ad annum 50 fœ-mellam, ad annum 70 marcm, soboli procreandæ va-lere.

8. §. His sece opponens Nicolaus Petrus Danus P. S. Pol. de constit. Reip. mat. pag. 329, ait, hæc quorundam placita, Sibyllina folia non esse, cum in sacra oracula impingant. Expressè enim extare: *ob fornicationes ba-baeat quisque suam uxorem*, 1. Corinth. 7. v. 2. *Melius est nubere quam muri*, 1. Cor. 7. v. 2. Non posse, ait, solidè probari, hæc tantum de mediæ ætatis hominibus lo-

qui. Tandem concludit. *Qui ergo volet ad veritatem
obsondēn, conjugia non insciabitur: nisi personæ non urge-
antur πονεῖα. 1. Corintb. 7. v. 2: nisi ἴδιον χάρισμα à Deo ha-
beant, v. 7. nisi se ἐγκρέπεται τῷ, v. 9. nisi ipsis σύμφρενοι fue-
rit v. 35. &c.* Huic & nos nostrum damus assensum &
doctas Politicorum rationes, reliquis paribus, debitâ
veneramur reverentiâ.

9. §. Matrimonium contracturo suadent *virginem*
notam, bene educatam, aqualem, pulcram, dotatam. Virginis
animus est sequax, quem instar Polypi aut Protei ad
nutum in centenas formas mutare licet: viduis contrâ
durioribus & morum defuncti mariti vel ad invidiam
tenacibus. Nota sit. Nam si secundum Ciceronem
amicus nobis eligendus non est, nisi cum quo aliquot
modiolos salis comederimus, utique in futurâ carne
& animâ eligendâ ipso Argo circumspectiores nos
esse decebit; quia amicum moribus non usque adeò
probatum cum gratiâ ejurabis: uxorem, dirâ te satie-
te fatigantem, sola mors tolleret,

10 §. De moribus præcipue tibi cogitandum erit,
ut pote fide, *verecundiâ, castitate, modestiâ, optimis vir-*
giniis dotibus. Semper hic educatio, si fieri poterit, in-
tuenda, quæ si mollis nimium & delicata, facillimè la-
sciviam parit, cùm negari non possit, quin pronum &
breve iter ad impudicitiam sint deliciæ. Meritò sunt su-
spectæ istæ virgines, quæ vesperâ occasiones quacunq;
arripiunt confabulandi cum prætereuntib, adolescen-
tibus, aut, parentibus & tutoribus cubitum euntibus,
somnum quoque simulant; sed mox ad amica silentia
Lunæ grata colloquia in multam protractunt noctem:
hinc stertunt usque ad octavam vel nonam, surgentes.
que ea tantum parant, quibus & ipsæ sibi placeant, &
placere

placere aliis possint, quam quibus domesticas curas
mater objicit, pensa, acus, colos, & si quid est operis,
quod suaves ac molles manus in callum durare solet.

11. §. Äqualitatem commendat illud Ovidianum:
sevis nubere, nube pari. Onnis enim amicitia consi-
stit in paritate, quam in æqualitate conjugum exulare
certum est. Nonnulli hanc temperant æqualitatem
distinctione, quod satis sit, si æquentur *Geometricè*, quā-
vis non *Aritmetice*, ita ut formam inopiosæ uxoris di-
vitiæ, nobilitas, fama & egregia facta deformis viri,
fortunas divitis sponsæ, doctrina egeni sponsi depen-
dant.

12. §. Pulcritudo non est spernenda, modò domi-
ciliū egregium egregius possideat hospes. Nam
gratior est pulcro veniens è corpore virtus. Hinc Ro-
manæ fœminæ, indulgentibus maritis, auro abundan-
ti & multâ purpurâ usæ sunt: ac quod formam suam
concinnioreni efficerent, summâ cum diligentia ca-
pillos rutilarunt. Species quoque corporis est simula-
crum bonæ mentis, ut tortuosum animi jejuni, angu-
sti & barbari probabile est argumentum.

13. §. Verum & hoc dogma mitigandum est bre-
viculâ monitione, scilicet *si species bonis moribus ornata*
fuerit. Insanit, qui solam pulcritudinem amoris fun-
damentum ponit, quod fragili nitatur fulcro. Non
dicam, quod aurea Cæsaries cadat, taliisque canescant,
genas rugæ occupent, oculos tegant nubes, dentes si-
tus obducant: sed quod fastus, superbia, vilipendium
mariti atq; alia hoc dulce venenum insequatur. Vix n.
quicquam est, quod æquè animum muliebrem tum-
faciat & extollat. Plerumq; mariti, sumtuosi hujus Ido-
li cultores, ad uxoris edictum vivunt, & nutum domi-
næ observant suspensi.

Ita

14. §. Ita male agunt & scipios eunt perditum;
qui, neglecta virtute, dotem attendunt, in felicem nu-
ptiarum pronubam; quia non tam viro uxori, quam
pecunia nubit avaritiae. Novimus, nihil esse intracta-
bilis uxore dotatâ, cum primis, marito paupere exi-
stente. Nam suas opes egestati comparat mariti, &,
quia de suo illum pascit, dominam se, non sociam, ar-
birratur. Dotis, si qua tamen adest, non quantitas, sed
qualitas est spectanda, cum malis artibus comparata
raro soleat diuturnare.

15. §. Essentia matrimonii consistit in legitimo con-
sensu: primò quidem personarum contrahentium: dein-
de etiam parentum, eorumque, qui parentum vices gerunt.
Præter sacra oracula, quibus id probatur, ratio est in
promissu. Cum enim contractus spontanei à
consensu dependeant, non poterit idem non esse ve-
rum de conjugio, quod meritò contractuum contractus
vocatur. An autem de consensu essentiâ sint expressa
verba, an ex aliis signis de eo judicari possit, disceptant.
Plerique sunt in eâ sententiâ, matrimonium solo nutu,
præsertim à parte puellarum, posse contrahi.

16. §. Requiritur ergo conjunctio, non tam cor-
poris, quam animi, quia copula carnalis matrimoni-
um non constituit, sed constitutum consumit: seu,
quia concubitus usus est conjugii, docente Menzero. Si ta-
men conjugium, ut consummatum consideratur, co-
pula carnalis ab ejus formâ neutiquâ excluditur. Ergo
maneat inchoati conjugii forma in conjunctione mē-
tali, consummati in mentali & corporali simul. Patet
hoce evidenter ex conjugio inter personam habilem &
inhabilem contracto. Inter has enim personas non ju-
dicatur esse verum matrimonium, quia committit non

inchoati conjugii sunt.

simulanda, quatenus absq; mendacio dissimulari pos-
sunt. Ad prudentiam referunt diffidentiam (quatenus
crudelitati opponitur) si limites non excedat. Creden-
dum iis, quorum fides est cognita: diffidendum in ma-
gnis negociis, si fides non satis pateat: premenda diffi-
dentia, ne videaris diffidere.

18. §. Prudentiam hanc conciliant literæ, quibus
operam dare Magistratus debet. Nam 1. ex Musarum
commercio homines mitescunt. 2. id, quod natura
imperfectum reliquit, resarcitur. 3. Eruditione splen-
didior nullus ornatus Magistratui excogitari potest. 4.
omnis divinæ & humanæ sapientiæ & prudentiæ the-
sauri sunt bonæ literæ. Epaminondas inter literas na-
tus fuit. Julius Cæsar extitit disertissimus. Augustus à
primâ ætate studia liberalia laboriosissimè exercuit.
Cosroes Aristotelem & Platonem calluisse dicitur.
Alia vel centum præterimus,

19. §. Plato eligit ad Magistratum gerendum inge-
niūm præcipuè Philosophicum, omnium sine contro-
versia perspicacissimum. Idque ideo, quod Magistra-
tus custodes sint gregis humani; proprium autem cu-
stodum sit prospicere & circumspicere: Id quod in
neminem rectius, quam in Philosophum quadrat. Nam
& veridicus debet esse custos & liberalis & temperatus
& magnanimus & mansuetus. Quæ omnia Philoso-
phi veri propria sunt.

20. §. Non autem spurium & adulterinum intelli-
gimus Philosophum; sed ita comparatum verum Phi-
losophum oportet esse, ut duo in eo concurrant, quæ
raro aliás in uno homine jungi solent: Natura videli-
cer ingenii acuti, contemplationi apta, veritatis desi-
derio flagrans; & unà cum hac natura etiam gravis, ad

B

agen-

agendum strenua, & boni publici potius, quam privati provida, amans & studiosa. Hinc non tantum per omnes disciplinarum gradus, futurum Reip. custodem duci jubet, sed cibilibus etiam actionibus cum vult exerceri, atque inter voluptates, dolores, labores, pericula examinari probarique, antequam ad rerum gubernacula admittatur.

21. §. Prisci hic laudandi, qui futuros Magistratus Legatis ad Imperatorem & Principes, vel alios quoescunque status mittendis adjungebant, & maturè adhibebant consultationibus. Romanos certè tantâ copiâ Politices peritorum adeò solum abundasse multi existimant, quod Legatorum ac Magistratum perpetuis profectionibus juvenum lectissimos semper junxerint. Nunquam enim facilius negotiorum hominumq; naturam perspici, nusquam majori cura ac sollicitudine verba nutusque alienos observari & proprios regi, prudentissimi quique docent. Falluntur, qui nihil aliud legatos habere putant, quod agant, quam ut exhibitis literis fiducialibus internuncii cuiusdam personam gerant. Judices sunt, arbitri & negociatores gravissimorum consiliorum publici: imò oculi, scipiones & fulcrâ Principum Rerump. sine omni errore nominantur. Legationem ipsam summam omnium officiorum, quæ in Repub. geri solent, si vocaveris, à verò non aberrabis.

22. §. Ita & Senatorum filiis licebat interesse publicis consultationibus, ut exemplo Papyrii à Livio annotati patet. Sic enim discere poterant, quibus de rebus, quâ ratione sit consultandum: audiebant elegantes in utramque partem disputantium orationes: sapientiam Oratorum notabant, & magna patriæ cum emo-

emolumento meditabantur. Hunc utilem morem Veneti adhuc in suâ Republicâ non sine fructu tueruntur, apud quos omnibus Patriciis, modò annos viginti quinque habeant, senatus a deundi jus est. Eundem etiam in particularibus Rebus. Aristocraticum aut popularem statum repræsentantibus, observari commode posse, unanimis Politorum est sententia, ut Senatui liceret intercessere, aut in consilio Principis sedere, non quidem ut consultandi aut definiendi vim iudicia juvenum haberent, sed ut discendo proficerent. Hoc prodesset juvenibus ad instructionem, Reip. dupli nominis, tum quod prudentioribus repleretur civibus, tum quod in præsentia plurium observatorum minus liceret prævaricari iis, qui interdum sui potius, quam publici sunt studiosi.

23. §. Liberalitas Magistratui decora, quæ cum verò judicio & honestâ benevolentia conjungitur. Non omnibus benefaciendum, sed probis & bene meritis ex honestâ benevolentia, non ex spe turpium obsequiorum, ut adulatoribus & proditoribus, de quibus mox pauca sumus adposituri. Modus adsit, ne, si ærarium ambitiosè exhaustum fuerit, per scelera & iniqas à subditis ex actiones veniat supplendum.

24. §. His omnibus boni publici studium anneximus, per quod bonus Magistratus civium non servitutem sibi traditam, sed clientelam, non suam esse Rem pub, sed se Reipublicæ. Quandoque tamen boni publici causa, salvâ justitiâ, Magistratus subditis damnum adferre potest. Sic, hoste mœnibus imminente, licetum est, subditorum ædes subruere, segetem ex urere, prædia diruere, pecora abigere & jugulare Reip. conservandæ causâ. Nam Reipublicæ hoc debent subditi,

ut non tantum fortunas suas, sed & vitam, necessitate efflagitante, ad conservandam Rempub. impendant. Duo h̄c tantum declinanda, ne Magistratus ad damna festinet, vel sub hoc prætextū sua querat commoda.

25. §. Ut omnibus virtutibus imperantem esse instructum, ita ab rursus omnibus vitiis, decet esse immunem, non tantum à gravibus, sed etiam minutioribus: imò iis, quæ peccandi consuetudine ac licentiâ nomen peccati amiserunt. Plato ne audire quidem eos quicquam permittit, quod vel virtutis contemptum, vel vitiū alicujus commendationem continere videtur.

26. §. Cum primis Magistratus fugiat affectus, excludat adulatores, neque putet, sibi licere quodlibet. Qui affectibus indulget, sui honoris vel utilitatis gratiâ rebus gerundis operam dabit, de communi commendo quid fiat parum solitus. Bonus Princeps, qui nullis cupiditatibus vincitur aut præpeditur, à bono patre-familias nihil omnino differt. Ut enim hic omne studium liberorum commodo ante omnia impendit; ita omnes actiones ad Reip. salutem dirigit.

27. §. Nihil est, quod æquè noxiū sit Reip. quam si Magistratus adulatoribus auriculas præbeat patentes, hominibus ad corrumpendos Principum animos non natis, sed ab ipso dæmone quasi factis: Hos semel in aulas Principum admissos lamentabilem ac tristem Reip. conditionem inducere, omnes historiæ loquuntur. Dum enim supra modum potentiam principum extollunt, & nescio, quid divinitatis nimia istis persuadent, quid aliud, quam somitem suppeditant vitiorum, classicum canunt ad civilia bella, regnum ipsum prædam constituunt hostibus & direptionem exteris.

28. §. Vera audire assuescat Magistratus, neque unquam

quam fidem habeat iis, qui vel peccata laudant, vel
peccare in aliorum gratiam sunt parati. Insigne assen-
tandi maleficium Anaxarchi fuit, cum ad Alexandrum
M. ob Clyticædem mœstum, *jus fasque esse*, diceret,
quacunque à rege committerentur. Pessimè Antonini
Caracellæ noverca Julia, cùm privignus eam incesta-
turus diceret, *velle se, si licet, respondebat, licere, si li-*
beret; an se Imperatorem esse & leges non accipere, sed dare,
nesciret?

29. §. Summus Magistratus etiam subditus est ejus
Reipub. cui Deus præsidet, cui naturæ lex lata est, quæ
non minus imperantem, quam insimum quemq; mor-
talium obligat. Neque ullius tanta est potentia, ut ho-
nestatis præscripto eam opponere liceat, etsi cogi à
nemine ad observantiam ejus possit. Imò nec huma-
nis etiam à se latis Princeps solutus est legibus, scilicet
si immediate & per necessariam consequentiam ex le-
ge naturæ ex leges deriventur. Quod ut intelligatur,
duæ sunt supponendæ hypotheses, quibus assertio no-
stra nititur.

30. §. Prima est: duo esse genera legum à Magi-
stratu quo cunque in Repub. latarum, quorum unum
commune, alterum proprium vocamus. Leges com-
unes sunt, quæ toti civitati ob causas æqualiter o-
mnibus convenientes feruntur. Propriæ sunt, quæ
certis civitatis membris latæ non nisi certa illa mem-
bra obligant. Altera hypothesis: Triplex est officium
legis cujuscunque: 1. ostendit, quid fieri vel omitti de-
beat: 2. dirigit eum, cui lata est, atque eo modo ob-
ligat, ut faciat, quæ jubet, aut omittat, quæ prohibet,
nisi conscientiam suam commaculare velit: 3. cogit,
hoc est, pœnam à delinquentे poscit. Hinc autores

vim legis in ostensivam, directivam & coactivam distinguunt.

31. §. His præsuppositis, statuimus Principem, etiam si Majestatem habeat, suis etiam positivis legibus teneri, easque observare debere, certâ tamen limitatione: scilicet subiectus est iis legibus, quas toti civitati tulit. Ratio hæc est; quia ipse inter illa membra continetur. Particularibus verò non potest obligari, cùm prorsus ad ipsum non spectent, imò cùm ne alios quidem cives concernant.

32. §. Dicimus porrò, Magistratum teneri efficiâ, quam in legibus *directive* esse diximus, id est, obligatur in suâ conscientiâ, ut faciat id, quod totam Remp. facere jussit: omittat autem, quod eidem toti ut omitteret, mandavit, nisi peccare saltem videri velit. Sed de vi *ostensiva* vel *coactiva* non potest intelligi: illa enim prorsus non obligat, cùm Philosophorum etiam præceptis insit; hæc in iis tantum efficax est, qui invitî obedientiam legibus præstare coguntur. Nam legis officia sunt prohibere, permittere, imperare & punire. Ultimum per accidens & secundum quid legi convenit, cùm non tam coactio sit de essentia legis, quam nuda obligatio, quæ cœlegias suam etiam in vi *directive* obtinet, secundum quam Magistratus ipse subest legibus, præscriptum iis, quas toti tulit urbi, cuius ipse pars est.

33. §. Hanc subjectionem efflagitat lex naturalis; quæ tum aliis faciendum non jubet, quod nobis fieri nolimus, hoc tum exigit, ut illud oneris, quod nobis imponi nolumus, aliis etiam ejusdem non imponamus nobiscum conditionis. Adde quod Magistratus toties contra naturæ legem peccet, quoties non tam

tam efficaciter bona in Repub. jubet, & mala prohibet,
quam efficaciter jubere vel prohibere potest. Hoc au-
tem melius nunquam fiet, quam quando Magistratus
suo exemplo subditis praeiit. Nam manifestius est, quam
ut probari possit, hanc efficacissimam jubendi ratio-
nem esse, *vivere, ut precipis.*

34. §. Qui recte facit, inquit Ausonius, non qui do-
minatur, erit Rex. Ita verum Magistratum descripsimus,
qualibus debeat esse praeditus virtutibus: utpote secuti-
sumus Xenophontem, qui in suâ Cyropædiâ Cyrum
supra modum commendat, non quod talis fuerit, sed
esse debuerit. Tales ergo ordinandus est Magistratus,
eique non tantum obedientiam subditi, sed honoris
etiam & præmii justam debent refusionem; cum quod
perse laude digna sit gratitudinis virtus, adeoque ma-
xime deceat quemcunque virum bonum, tum ut repe-
riantur, qui propriis rebus neglectis aliorum utilitati-
bus industriam suam velint impendere.

35. §. Quod si vero Magistratus Tyrannicus sit, vel ini-
qua præcipiat, querimus, num è medio tollere & mandatis re-
sistere licitum fuerit? Quoad prius distinguimus inter im-
perantes. Quidam occupatione invadunt imperium,
quidam certis eliguntur conditionibus, quidam deni-
que absolutæ sunt potestatis. Primis resistimus; quia
vim vi repellere licet. Ita qui leges fundamentales
procyclant pedibus atque arma capiunt, armis expu-
gnandi sunt, si admonitionibus nullus relinquatur lo-
cus. Ultimi à misericordiis subditis ne deponi possunt, ne-
dum occidi.

36. §. Questio posterior limitate est accipienda.
Magistratus quandoque præcipit, quod est impium &
iniquum, ubi, quæ Deus jussit, vetat, vel, quæ prohi-
buit

buit Deus, jubet. Hic subditus non tenetur præstare obedientiam juxta effatum Apostoli, Deo magis obediendum esse, quam hominibus, docentis. Quandoque mandatum iniquum est, vel quod privatæ subditorum opes per fas & nefas variis auferantur modis, vel quod alia eis injungantur, quæ injungi neque debebant, neque poterant. Huic obtemperamus, ne vel rebelles fiamus, vel aliis rebellandi occasionem præbeamus.

37. §. Ergò si honor improbo debetur Magistrati, multò magis omnibus viribus nobis laborandum erit, ut boni & moderati viri dignè tractentur, ne ad officia Magistratūs apti provinciam detrectent, & imperii curis distineri, etiam si possint, nolint. Quærimus hīc num aliqui ad Magistratum sit compellendi? Affirmamus, si digni omnium consensū, quibus Sparta committatur, reperiantur, nec ullis precibus ad oblatum munus suscipiendum persuaderi queant. Pœnæ irrogatione ad gubernationis curam compellendos esse Plato existimat, dum quemlibet ita vivere debere dicit, ut publicam tamen salutem nō videatur deseruisse. Pœnam convenientissimam hanc censet esse, ut sub potestate minus bonorum esse jubeantur, cùm bonis & generosis naturis pœna quovis cruciatū sit acerbior, à deterioribus vivendi accipere legem.

38. §. Hucusque de iis, quæ Magistrati appetenda & fugienda; sequitur hujus divisio. Non repetam ex superioribus, quod aliis sit summus, aliisque subordinatus, cùm de utroque haec tenus dictum sit: sed tantum, quomodo porrò vel ratione circumstantiarum, vel materiæ veniat dividendus. Ratione circumstan-

tiarum

tiarum dividitur ratione 1. temporis in ambulatorium
& temporarium. 2. loci in urbanum & suburbanum, Mu-
nicipalem & Provincialem. 3. Personarum in optima-
tes, nobiles & divites. 4. electionis in ἀληγωτὸν & αἰρετὸν.
5. potestatis in imperium plenum & limitatum. 6. for-
marum Reipub. alium omnibus formis communem, a-
liumque esse proprium. 7. necessitatis in necessarios &
honorarios. Respectu materiae alii circa personas, a-
liique circa res versantur. Hi Quæstores uno nomine
dicuntur, quod quæstui Reip. curam impendant; illi
vel omnium hominum gubernationi præsunt, & sim-
pliciter Magistratus vocantur, vel cum iis tantum con-
versantur, qui jure manus consertum veniunt, & hi qui-
dem judices vel etiam Prætores dici possunt. Hæc di-
visio priori est latior, quamvis propriè accepto Magi-
stratui non videatur competere.

39. §. Consulari Magistratū nulla Respub. carere
potest; dissipantur enim, ut Regum sapientissimus Sa-
lomon loquitur, cogitationes, ubi non est consilium,
ubi verò sunt plures Consiliarii, congregantur. In re-
bus privatis, cùm dubia oriuntur, amicos quisque con-
sulit, quantò magis in ipsâ Repub. id necessarium est,
ubi & majora sunt negotia & magis intricata.

40. §. In Senatum legendi sunt non idonei tan-
tum, sed digni etiam honoribus tantis. Præter accu-
ratam rerum civilium cognitionem sequentia in Sena-
tore desideramus. 1. Ut ætate stabili jamque ad sene-
tatem inclinante sit prædictus; seris enim, ut Ovidius
ait, venit usus ab annis. 2. Tenacem secretorum esse
volumus, quod plerumque irrita reddantur, quæ ante
executionem enunciantur consilia. 3. Requiritur, ut

C.

lubens

Iubens cūm meliore sententiā suam mutet. 4. Nulli
vicinæ Reipub. sit obnoxius. Suspicionem etiam hu-
jus criminis ita caveat, ut cūm exterorum legatis omne
clandestinum fugiat consortium. 5. Præcipitationem
vitet, & nunquam celeritatem, nisi in morā sit pericu-
lum, adhibeat. 6. Frequens sit in Senatū, neque in
causis odiosis diverticula quærat.

41. §. Quærimus. (1) *Utrum à semel data senten-
tiā quis recedere debeat* ? Constantia laudatur, non
quævis, sed conjuncta cum prudentiā & rei veritate.
Non pudeat Consiliarium, si rem primā consultatione
non tetigisset, priori sententiā sepositā, meliori fa-
vere.

42. §. (2.) *Num quis non vocatus Reipubl. possit
consulere?* Affirmamus. Ratio est; quia quivis, qui in
numerum hunc fuit receptus, de commodo, utilitate
& honore Reipubl. & Principis prospicere tenetur. Er-
gò Reip. efflagitante necessitate, nunquam debet ab-
esse, quamvis non citatus fuerit. Ita nec unquam ipsū
à consultationibus erit abstinendum, quamvis sciat,
odiosa tractari, ne officium & suam conscientiam vio-
let, aut etiam Deo, cui se juramento obstringit, crimi-
nis reum se constituat.

43. §. *Judex eligendus est, qui nihil grætiæ det, ni-
hil offendæ, qui que nec irā, nec cupiditatibus facilè
impellatur.* Utrique parti vacivas præbeat aures, ne-
que admittat, ut qui alterum prævenerit, fidem è vesti-
gio inveniat, aut de justiā triumphet, qui in ante-
vertendo adversario magis fuerit diligens & indu-
striosus.

44. §. *In nullâ re majori opus est cautione, quam
in or-*

in ordinandis, cum nusquam facilior sit lapsus quæsto-
ribus. His non minus Respub. quam publicis redditibus aut
arario carere potest. Merito ergo hic laudandus, qui in
hac re se recte gesserit, quod in nullo officiorum ge-
nere plures admittantur fraudes, etiamsi in nullo fre-
quentiores & maiores infligi videamus pœnas. Fru-
straneus ergo erit omnis eorum labor, qui hic Magi-
stratui consulunt, plures esse constituendos unius loci, ne
furta facile celari possint & singulis mensibus diligentissi-
mam exigendam esse rationem. Frustra adhibetur hic o-
mne consilium, quod sufficientia præcepta dari ne-
queant, quibus hominum malitiæ hic obviam eatur.
Beatus est quæstor, qui inventus est sine maculâ, & post
aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris;
quia

Auri sacra famæ, quod vis mortalia cogis
Pectora.

45. §. Reliqua quæ extra ordinem deferuntur offi-
cia, omittentes hunc sermonem finimus notabili Co-
rallario; Magistratum magnâ cautione esse
constituendum.

F I N I S.



Dn. Respond. Collegæ meo
honorando.

Es populi quod sint, Respublica quælibet audit,
Debetur summo cuius origo Deo.
Id sacri docuere libri, docuere profani:
Ergo concentum monstrat uterq; tibi.
Esse Magistratum partem, monstrare relata:
Subditus & Princeps quam voluere ~~ex~~conr.
Certa sit hic, Stagirita, tibi persona, sagittis
Ut te Scheurlinus vindicat arte suis.
Seu summus, seu sit medius, virtutibus auctum
Multis, qui multis imperat, esse decet.
Virtutem pulcrè decorat prudentia vera,
Quam te doctorum sana Sophia docet.
Affectus pravos fugiat fugiatq; malignos,
Os quorum regno maxima damna parit.
Et quia solus obire nequit peragenda, fideles
Sint quæstor, prætor, sitq; Senatus ei.
Hæc sunt, quæ brevibus thesibus, LEDERERE, cathedræ
Proponis doctis discutienda viris.
Det Deus, enuclees verbis hæc cuncta disertis,
Omnis ut adstantis laudet utrumq; chori.
Si steteris, nostras manet hæc laus optima Musas,
Hoc quæ cum reliquæte docuere domi.
Quod poteris, præstato: labor qui primus, in omni
Non unquam cuivis parte beatus erit.
Corrigit in quovis specimen peccata secundum
Ad quod, si vivo, pervagil autor ero.
Pergimus hoc studium gratum, gratosq; labores,
Quæis sine nostra nequit vivere Musa dieva.

Præses.

05 A 2375

ULB Halle
003 784 444

3



NAD/P

61

Farkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Disputatio Politica

de

Societatibus Naturalibus,

Duce Deo & Preſide

M. MICHAEL WENDELERO,

Facult. Philosoph. Adjuncto,

publici colloquii gratiā

proposita à

JOHANNE LAURENTI

Gubenā Lufato

In Auditorio majori boris antemeridianis die 5. Octobr.

WITTE BERGÆ
Excudebat MICHAEL WENDEL
Anno 1639

